

Quint

1. Theat.

1712

Continetur in hoc tomo

GEORGII CALIXTI

- I. Theses de Veritate unica Reliq. (Sr.
disputatē, Anno 1633
- II. De Sacrificio CHRISTI inimitabili
Exercitationes III. An. 1638
An. 1639
- III. De Hæresi NESTORIANA Exerc. No 1640
- IV. De COMMUNIONE SUB UTRAQUE
specie disputatio cu
Dialog. Georgij Cassandij No 1642
- V. De visibili ECCLES. MONARCHIA
Exercitationes II. No 1643.
- VI. Programma, quo controversia; Nam
Christus secundum carnem sit Filius Dei
adoptivus, vel naturalis exercitatus, No 1643
- VII. De TRANSUBSTANTIATIONE
Exercit. II. No 1643.

II. RESPONSUM Moguntinorum pro
ROM. PONTIFICIS INFALLIBILITATE
praecepto Comm. sub una viadivi
oppositum Ac 1644.

IX. RESPONSI pars altera INFAL-
LIBILITATEM Rom. Pont. firmam
excutiens An. 1645.


X. De AVCTORIT. S. SCRIPTURAE
et NUMERO LIBR. CANON. V. T.
Excursatio Ac 1648.

[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. Some words are difficult to discern but appear to include:]

IX. XII
X
X. de AVCTORITATE
X. de AVCTORITATE
X. de AVCTORITATE







2.

CYN Θ Ε Ω

De

SACRIFICIO
CHRISTI SEMEL IN
CRUCE OBLATO, ET
IN ITERABILI

EXERCITATIO THEO-
LOGICA,
QVAM

SVB PRAESIDIO

GEORGI CALIXTI

S. THEOL. D. ET PROF.

PUBLICAE

IN ACAD. IVLIA

DIE XXI MARTII

SVSTINEBIT

ALBERTVS BODERE

HILDESIENSIS.

✠ ○ ✠
✠

HELMÆSTADI,

IN TYPOGRAPHEO CALIXTINO EXCVDIT

HENNINGVS MULLERVS.

MDCCCXXXIX.



CYN OEQ

De

SACRIFICIO
CHRISTI SEMEL IN
GRATIA OBSTATO, ET
INTERABILI
EXERCITATIO THEO-
LOGICA
QUAM
SUS PRAESIDIO


GEORGI CALIXTI
S. THEOL. D. ET PROF.
PABLICE
IN ACAD. IULIA
DIE XXI MARTII
SUSPENSIT
ALBERTVS BOBERG
HILDESHEIM

1600

HELMSTADT
IN THEODORICO CALIXTO ENOCH
HENRIK V. MULLER
CIT DE EXHIB









DE SACRIFICIO CHRISTI SEMEL IN CRUCE OBLATO, ET INI- TERABILI.



Ors Domini & Seruatoris nostri Ie-
su Christi, quâ salus nostra nititur, sem-
per meditanda nobis est: præcipuè ta-
men hisce Quadragesimæ diebus, quos
inprimis isti rei pia antiquitas destina-
uit, utpote incidentes in ipsum illud an-
ni tempus, quo pro nobis passionem & mortem subiit
Seruator noster. Et ut quàm maximè seriò passionem
& mortem eam meditaremur, & de peccatis nostris,
propter quæ Dominum nostrum tantos cruciatus su-
stinere oportuit, doleremus, & declinandi in posterum
commodissimam rationem iniremus, voluerunt majo-
res nostri prisci Christiani & primæ ecclesiæ antistites
nostotâ Quadragesimâ non modò sobriè, & luxus,
comestationum crapulæq; expertes viuere, quomodo
alioquin viuendum semper est; sed sumtionem cibi vl-
tra consuetam horam differre, & per integrum diem
solâ frugali cœnâ (nisi tamen corporis aut operis non-
nullorum ratio euidenter & necessariò aliud exegerit,) contentos esse, atq; adeo corpus jeiuniis tenuare, ut
mens ad Deum liberior & purior feratur.

A

II. Et

II. Et quoniam nihil magis ex usu nostro, quam
 mortis Domini, cui fiducia impetrandæ remissionis
 peccatorum & spes adipiscendæ æternæ beatitudinis
 incumbit, crebrò & seriò meminisse, vt hoc pacto fi-
 des spesq; roborentur & incrementum capiat caritas
 Rom. 8, 32. in Deum Patrem, qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis
 Ioh 2, 2. omnibus tradidit eum, & in Deum Filium, qui factus pro-
 3, 16. pitiatio pro peccatis nostris animam suam pro nobis posuit, nosq;
 1 Pct. 1, 18. redemit non corruptibilibus argento vel auro, sed pretioso suo
 2 Tim. 2, 6. sanguine, *δὲς ἑαυτὸν ἀντίλυτρον ὑπὲρ πάντων*, & propter Deum
 in proximos, præsertim Christianos, vtpote eodem
 pretio emtos & eiusdem parentis filios: quoniam, in-
 quam, à seriâ recordatione mortis Domini tanti mo-
 menti fructus pendent, ideo Dominus ipse priusquam
 pateretur commemorationem eius insignem, & ad fi-
 nes, quos diximus, obtinendos insigniter efficacem
 instituit, nempe vt à fidelibus ipsum illud corpus,
 quod pro nobis in mortem traditum est, verè, sed in sa-
 cramento, & modo nostris mentibus imperuio man-
 ducetur, ac ipse ille sanguis, qui pro nobis in remissio-
 nem peccatorum effusus est, bibatur.

III. Sola sanè præsentia & sumtio corporis san-
 guinisque Domini ad excitandam seriam mortis Do-
 mini recordationem efficacissimæ sunt. Voluit nihi-
 lominus Dominus corpus & sanguinem eo modo su-
 mi, quin panem quoque & vinum, cum quibus exhi-
 bentur, eo modo tractari, qui ad passionem animis fi-
 delium ingerendam & imprimendam esset idoneus.
 Nempe voluit sanguinem seorsim & tamquam à cor-
 pore separatum accipi; & voluit benedictum panem,
 qui *κοινωνία* est corporis, frangi, & vinum calici infu-
 sum effundi in ora fidelium, vt ita passio ac mors &
 corpo-

corporis cruciatus & sanguinis effusio repræsentarentur, & non modò menti sed ipsis quoq, oculis per huiusmodi signa & actiones efficaciter ingererentur.

IV. Passionem autem & mortem Domini, veri, proprii strictiq; nominis sacrificium esse extra contro-uerfiam est. *Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis* $\omega\epsilon\theta\sigma\phi\omega\epsilon\gamma\iota\nu \chi\epsilon\ \text{I}\nu\sigma\tau\alpha\tau\ \tau\omega\ \Theta\epsilon\omega$, eis $\delta\sigma\mu\lambda\omega\ \epsilon\omega\delta\iota\alpha\varsigma$, *oblacionem ac victimam Deo, in odorem bonæ fragrantia*, Ephes. v, 2. *Et unâ pro peccatis oblataâ victimaâ*, $\mu\iota\alpha\ \nu\ \omega\pi\ \alpha\mu\alpha\rho\tau\iota\omega\ \nu\ \omega\epsilon\theta\sigma\epsilon\upsilon\epsilon\gamma\eta\varsigma\ \text{I}\nu\sigma\tau\alpha\tau$ *in perpetuum sedet ad dexteram Dei*, Hebr. x, 12.

V. Θυσία ἀπό τῆ θύειν, quod communiter est sacrificare, mactare, jugulare. Apud Hebræos זָבַח idem propemodum est cum cognato זָבַח & significat *occidit animal* siue ad epulum hominibus exhibendum, siue ad cultum vel Deo vel idolis præstandum. Prius quidem rarius est: occurrit tamen Num. xxii, 40; Deut. xii, 15; I Sam. xxix, 24; I Reg. i, 9; xix, 21. In cæteris fere omnibus locis posterior significatio obtinet, *ut sit mactant in sacrificium*: atq; adeo ita sacrificium designat, ut cædem siue immolationem semper involuat, quum hæc ipsa sit de intrinsecâ ratione sacrificij propriè dicti. Constat enim impropriè & per metaphoram vsurpari vocabulum psalmo l, 14, ubi dicitur זָבַח $\text{לְאֱלֹהִים תִּזְבַּח}$ *Sacrifica vel immola Deo laudem*. Sicut itaq; זָבַח propriè acceptum semper inuoluit occisionem rei viuæ, ita quoq; זָבַח , quod hinc descendit. קָרְבַּן *oblatio* latiùs patet. omne enim sacrificium est oblatio, sed non omnis oblatio est sacrificium. מִנְחָה *munus* exponi solet: atque sic etiam ipsum generale fuerit. Si autem strictè capiatur, est simila cum immixto aut superfuso oleo, & imposito thure, ut discimus è Lev. ii.

VI. Quia itaq; sacrificium propriè dictum eadem animantis includit, vt distinguatur à vulgaribus mactationibus, dico & definitio sacrificium propriè dictum esse immolationem animantis factam in Dei cultum & obsequium, juxta Dei ipsius voluntatem & præscriptum. Quibus postremis verbis ab hac definitione sacrificia idololatrarum & gentilium segregantur. Etiam si enim sint immolationes animantium religionis cuiusdam ergo factæ, atque adeo spectatâ actionis formâ & agentium intentione, quamuis perperam susceptâ, quædam sint sacrificia; quia tamen neq; ex Dei mandato neq; modo neq; sine, quo oportebat, peraguntur, pia & legitima sacrificia non sunt.

VII. Manifestum hinc est morti Christi, quatenus ipse volens suaq; sponte eam subiit, definitionem sacrificij propriè strictèque sumti convenire; & proinde veri, proprii strictique nominis sacrificium esse. Iudæi quidem & Pilatus honoris & cultus diuini rationem nullam habuerunt, sed quum hominem innocentissimum *definito consilio & præscientiâ Dei traditum accepissent*, molestias, quas ab eo sibi creari rebantur, excussuri *manibus sceleratis cruci affixum interemerunt*, atq; adeo tetrum facinus & homicidium commiserunt. Quatenus autem Dominus ipse *tradidit animam suam in mortem*, Ies. LIII, 12; eatenus etiam semetipsum obtulit victimâ Deo, quemadmodum habent verba ex Apostolicis epistolis paullo antè producta. Ego, inquit *apud Iohannem, pono animam meam. Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à me ipso: potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo rursus eam adsumendi. Hoc mandatum accepi à Patre meo.*

IIX. Quoniam autem victimam offerre siue sacrificia-

crificare præcipuus & proprius est actus sacerdotij,
adeo vt ab aliis, quàm à sacerdotibus, præsertim post
promulgatam legem Mosaicam, ritè obiri nequeat;
hinc patet Dominum nostrum, quando hoc, quod
diximus, sacrificium peregit, & semetipsum obtu-
lit, sacerdotali munere functum fuisse. Quia verò
sacrificium quod obtulit, infinities dignius & excel-
lentius fuit, quàm cuncta sacrificia Leuitica; ideo ipse
quoque pontifex est & sacerdos longè excellentioris
dignitatis & ordinis, quàm Aharon & Leuitici sacer-
dotes, quippe *secundum ordinem Melchisedech pontifex fa-*
ctus in æternum, Heb. v, 20. Quibus autem rebus Mel-
chisedech Filio Dei adsimiletur, sequente capite
eiusdem epistolæ luculenter exponitur. Huic itaque
nostro Noui testamenti pontifici *non est quotidie necesse,*
quemadmodum illis veteris pacti pontificibus, prius pro pecca-
tis propriis victimas offerre, deinde pro peccatis populi. Hoc
enim fecit semel, quum semetipsum obtulit, Hebr. vii, 27. *Vni-*
câ oblatione consummauit in perpetuum eos, qui sanctificantur,
Hebr. x, 14. nempe quidquid sanctificationis nostræ
ergo per oblationes & victimas præstari opus erat,
unicâ oblatione & victimâ præstitit & consummauit:
quia, vt rectè ait Thomas in hunc locum, hostia Christi,
qui Deus est & homo, habet virtutem æternam sanctificandi.

IX. Vnici igitur huius sacrificij, vtpote quod
precij sit immensi & infiniti, fructus est perpetuus: &
ipse Pontifex noster Christus eo peracto ingressus est in
cælum, vt compareat apud faciem Dei pro nobis, Hebr. ix, 24.
Hoc unicum videlicet semel oblatum sacrificium Deus
Pater semper intuetur, & nostri propter id ipsum mi-
seretur; & Filius considens ad dextram Patris intuen-
dum, vt ita dicam, semper exhibet & offert, atque ita

Patrem, ut propitius nobis esse velit, permouet. Hoc est eum ingressum in caelum comparere apud faciem Dei pro nobis. In virtute itaque sacrificij vnici & semel oblatis munus sacerdotale in hoc positum, ut tamquam mediator populo Deum placet, veniamq; peccatorum & beneficia impetret, perpetuo explet. *Unde & seruare perfectè potest eos, qui per ipsum accedunt ad Deum, semper viuens ut interpellet pro eis, Hebr. vii, 25. Est ad dextram Dei, & interpellat pro nobis, Rom. ix, 34. Eum apud Patrem habemus advocatum, I Iohan. ii, 1.* Sic, inquam, in caelis virtute & vigore perfectissimi sacrificij semel in terrâ oblatis sacerdotale munus Deum populo placandi semper exsequitur. Bene vetustus auctor sermonum de cardinalibus Christi operibus, Cypriano aliquando tributorum, sermone de Baptismo Christi: *Per omnia sibi Pater in Filio conplacuit, nec vlla in eo serpentis sunt reperta vestigia, nec sacerdotij ejus pœnituit Deum, quoniam sacrificium quod in cruce obtulit, sic in beneplacito Dei constat acceptabile, & perpetuâ virtute consistit, ut non minus hodie in conspectu Patris oblatio illa sit efficax, quam eâ die, quâ de faucibus lateris sanguis & aqua exiuit, & semper reserua-
ta in corpore plagæ salutis humana exigant pretium, & obedientia donarium requirant.*

X. Epistola igitur ad Hebræos à sacrificio Christi iterationem, utpote imperfectionis argumentum, planè remouet. Quin quum sciamus, Christum suscitatum ex mortuis non amplius mori; mortem inquam ei non amplius dominari, Rom. vi, 9: vel hinc abundè constat, sacrificium Christi, quod intrinsecè suaque, ut sic loquar, in essentiâ mortem inclusit, repeti non posse; atque adeo non posse dari in ecclesiâ sacrificium, quod cum sacrificio in cruce oblato specie idem sit; vel
tale,

tales, quale (de quali essentiali loquor) fuit illud; vel de quo & sacrificio crucis vniuocè sacrificium prædicetur, ita inquam, vt sacrificij propriè dicti vera formalis ratio vtrique vniuocè insit.

XI. Si verò à propriâ & strictâ sacrificij ratione deflectimus, & ad improprias & latas ab aliquâ analogiâ, convenientiâ, allusione vel extrinsecâ denominatione deriuatas acceptiones respicimus; dubium nullum est, quin multæ tales in promptu sint, quarum intuitu Sancta eucharistia, siue, vt vocabulo ecclesiastico vtamur, Missa (quam apud Protestantes *neutiquam abolitam, sed retineri & summâ reuerentiâ celebrari* Augustana confessio profiteretur) sacrificium appellari possit; imò longè plures, quàm in aliam vllam rem competant.

art. 3. de
abusib.

XII. PRIMO enim Augustinus sacrificij vocabulum in latissimâ capiens significatione, *verum sacrificium esse dicit omne opus quod agitur, vt sanctâ societate inhereamus Deo, velatum ad illum finem boni, quo veraciter beati esse possimus*, x de Ciuitate Dei, cap. vi. Si hoc pacto sacrificium sumatur, quis neget Eucharistiam siue Missam esse sacrificium?

XIII. SECUNDO amat Scriptura cultum diuinum, qualis etiam in Nouo testamento viget, cum internum tum externum, vocabulis aliàs Veteri pacto propriis, vt pote hostiæ, immolationis, sacrificij describere. In hunc videlicet modum de gloriâ & amplitudine ecclesiæ concionatur Iesaias LX, 6: *Multitudo camelorum operiet te, dromedarij Midian & Ephah: omnes è Saba venient, aurum & thus deferent. Omnia pecora Cedar congregabunt sese tibi, & arietes Nebaioth ministrabunt tibi, adscendent cum beneplacito super altare meum.* Sanctus Paulus
lus

Ius Rom. xv, 16: *Operor Evangelio Dei, ut oblatio gentium fiat accepta, sanctificata per Spiritum sanctum.* Philipp. 11, 17. *ἑσθίαν καὶ λειτουργίαν πίστεως* memorat. *Si pro libamento, inquit, offerar super hostiâ sacrificioꝝ, fidei vestrae, gaudeo.* Sicut Paulus dicit *ἱερουργεῖν τὸ εὐαγγέλιον τοῦ θεοῦ*, ita Magnus *Basilius* *ἱερατεύειν τὸ σῶμα τοῦ κρείσσου τοῦ δόντος ἑαυτὸν ὑπὲρ ἡμῶν προσφορὰν καὶ θυσίαν τῷ Θεῷ εἰς ὄσμιλὴν αἰωνίας*: item *ἱερουργεῖν τὸ μυστήριον ἑκείνου κατὰ τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Θεοῦ*, Sermone 11 de Baptismo, quæst. 11. Eius etiam frater *Gregorius Nyssenus*, *Quum audimus, inquit, unguentum sponsæ acceptius esse quam omnia aromata, hoc discimus, mysterium veritatis, quod per doctrinam Evangelij quasi quoddam sacrum perficitur, solum Deo gratum esse ac suave.* Orat. 11 in Canticum. *Origenes* dicit *sacerdotem ecclesie iugulare hostiam verbi Dei, & doctrinæ sane victimas offerre.* Homiliâ 111 in Leuit. Quis neget eodem sensu & pari ratione, si non potiore, Eucharistiam sacrificium nominari posse?

XIV. Imò planè potiore. Accedit enim, quod jam TERTIO loco considerandum proponimus, inter sensibiles Veteris testamenti ritus sacrificia eminuisse, & his in Nouo testamento succedere administrationem Sanctæ eucharistiæ, vtpote ritum sensibilem in hoc ipso Nouo imprimis illustrem & frequentem. Quemadmodum enim Circumcisionis locum supplet Baptismus, ita Paschalis victimæ aliorumque sacrificiorum Eucharistia; quæ in Nouo ita eminet & excellet, vt in Vetere immolatio victimarum. Ergo potiore quodam titulo ad se trahet sacrificij appellationem, quam reliqui ecclesie ritus. Vnde tamen non efficitur esse sacrificium propriè dictum: vti etiam Baptismus propriè. Circumcisio non est, quamuis in
locum

locum Circumcisionis successerit, & à Paulo appelletur *circumcisio Christi*, Coloss. 11, 11. Alias etiam Veteri pacto proprias voces suis vsibus, quin huius ipsius sacramenti administrationi attemperavit Ecclesia, dum presbyteros vocat sacerdotes, diaconos autem Leuitas: occasione fortè acceptà ex Iesaiæ LXVI, 20: *Adducent omnes fratres vestros ex omnibus gentibus munus Domino in equis, & in quadrigis, & in lecticis, & in mulis, & in carrucis ad mentem sanctum meum Ierusalem, ait Dominus. Atq; etiam ex eis adsumam in sacerdotes & Leuitas, ait Dominus.* Quales Leuitæ, tales sacerdotes & talia sacrificia, nempe secundum quamdam allusionem & analogiam, siue potius allegoriam. Quæ enim Veteri pacto propria sunt & rebus Noui accommodantur, ἀλληγορικῶς accipi vel exponi dicuntur. Et omnes *Ec-* in c. 31 Ie-
clesiastici viri, uti docet Hieronymus, *in primo Saluatoris* remiæ,
aduentu dicunt uniuersa completa; & Nouum testamentum, hoc est Euangelium, successisse Veteri testamento: à quo legem literæ lege spiritus commutatam, ut omnia quoq; sacrificia, & circum-
cisio, & sabbatum spiritualiter complerentur.

XV. Hinc itaque veteres rectissimè partim generaliter de religione & omnibus spiritualibus Christianorum sacrificiis interpretantur, partim peculiari- ter sanctæ Eucharistiæ accommodant verba Malachia, quibus prædixit fore, ut sacrificia Iudæorum Deus reijciat, alia verò à gentibus ubiuis locorum offerenda grata habeat. *Non est mihi voluntas in vobis, di-* cap. 1, v. 10.
xit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu ve-
strâ. Ab ortu enim solis usq; ad occasum eius magnum est no-
men meum inter gētes, & in omni loco offertur incensum (vulg.
sacrificatur) nomini meo, & munus (vulg. oblatio) mundum,
quia magnum est nomen meum inter gentes. Ad hunc locum

B

Hiero-

Hieronymus: Propriè nunc ad sacerdotes Iudæorum sermo fit,
— ut sciant carnalibus victimis spirituales successuras: & ne-
quaquam taurorum hircorumq; sanguinem, sed thymiama, hoc
est, sanctorum orationes Domino offerendas; & non in unâ orbis
prouinciâ Iudæâ, nec in unâ Iudæa urbe Ierusalem, sed in omni lo-
co offerri oblationem nequaquam immundam ut à populo Israël,
sed mundam, ut in ceremoniis Christianorum. Ab ortu enim
solis usq; ad occasum magnum est nomen Domini in gentibus, di-
cente Salvatore, Pater manifestavi nomen tuum hominibus.
Ioh. 17, 6. **Theodoretus:** Victimâs, quas offeritis, exsecror, quarum loco
uniuersum orbem terrarum me summâ religione colentem habeo.
nam omnium habitatores terrarum, quas sol oriens & occidens
suis radiis illustrat, cum ubiq; incensum offerent, tum etiam sa-
crum purum & mihi gratum conficiunt. Cognoscent enim nomen
meum & voluntatem, & debitum honorem prestabunt, & ac-
commodatum cultum adhibebunt. **Tertulianus III contra**
Marcionem, cap. XXII: In omni loco sacrificium nomini meo
offertur, gloria scilicet relatio, & benedictio, & laus, & hymni.
Rursus IV contra eundem, cap. I: Sacrificium mundum,
scilicet simplex oratio de conscientia purâ. **Aduersus Iudæos**
cap. V: De spiritualibus sacrificiis addit, dicens, Et in omni loco
sacrificia munda offerentur nomini meo. **Eusebius** itidem
contra Iudæos **Αποδείξεις** libro primo, cap. VI: Quod in
omni loco suffitum & hostiam dicit offerri Deo, quid aliud signi-
ficat, nisi neq; Ierosolymis neq; definite in hoc aut isto loco, sed in
omni regione & in omnibus gentibus Deo, qui super omnes est,
oblatum iri suffitum precum, & illam non cruorum sed piorum
operum mundam appellatam hostiam? Quin ipse Iudæorum
interpres **Jonathan Vzielides**, quamuis sacrificiis
propriè ita dictis, utpote Iudæus, deditus maximè
fuerit, hunc tamen locum de spiritualibus accepit &
interpretatus est. Ita enim habet Chaldaica ejus pa-
raphra-

raphraſis: In omni tempore, quo vos feceritis voluntatem meam, ego acceptabo preces vestras; & nomen meum magnum ſanctificabitur per vos; & preces vestrae erunt ſicut holocauſtum purum coram me, quoniam magnum eſt nomen meum inter populos.

XVI. Cæterum peculiariter Sanctæ eucharistiæ accommodant præter Damascenum *IV de fide orthodoxâ, cap. XIV*, Rupertum Tuitienſem & Liranum in eum locum commentantes, aliosq; recentiores, ex antiquis Iuſtinus *Dialogo cum Tryphone*; Irenæus *libro IV, cap. XXXII*; Chryſoſtomus *in psalmum XCV*: ubi ſacrificiorum Christianis, juxta receptos & ipsi etiam Scripturæ vſitatos loquendi modos, competentium genera decem, è quibus tamen nullum propriè dicitur, enumerat. *Habes, inquit, primum sacrificium, illud ſalutare donum, nempe Sanctam eucharistiã; secundum martyrium; tertium deprecationis; quartum jubilationis; quintum justitiæ; sextum eleemoſynæ; septimum laudis; octavum compunctiõnis; nonum humiliatõnis; decimum prædicationis.*

XVII. QVARTO itaque beneficentiam, & officia caritatis egeni proximo exhibita, siue eleemoſynas, sacrificia & victimas appellat Scriptura. Ita Paulus quum munus à Philippensibus transmissum accepisset, se scribit accepisse *ὄσμιλὸν ἐὐωδίας, θυσίαν δεξιῶν, ὠσπερον τῷ Θεῷ, odorem bonæ fragrantia, hostiam acceptam, Deoq; gratam Phil. IV, 18. Et Hebr. XIII, 16: Beneficentiæ & communicationis ne obliuiscimini: talibus enim victimis delectatur Deus.* Erat autem veteri ecclesiæ in more positum, ut in sacris conuentibus à fidei populo offerrentur panis & vinum, quæ non modò cederent pauperibus aut ecclesiæ ministris in subsidium & alimoniam, sed etiam in materiam administrandæ Eucharistiæ.

Hinc Beatus Cyprianus libro siue tractatu de Opere & Eleemosynis opulentam matronam increpans, *Locuples, inquit, & diues es, & dominicum celebrare te credis, quæ carbonam omnino non respicis, quæ in dominicum sine sacrificio venis, quæ partem de sacrificio, quod pauper obtulit, sumis.* Hic noua apparet ratio, propter quam in celebrationem Eucharistiæ, siue, quod idem est, in Missam elogium Oblationis & sacrificij quadrat, & collatum olim fuit.

XIIX. Irenæus Seruatorem hoc ipso, quod in instituendâ Eucharistiâ panem & vinum adhibuit, panis viniq; oblationem ecclesiæ suæ tradidisse docet & commendasse. Sanè sacrorum participes, quæ ad sacra peragenda requiruntur, conferre decet siue offerre. Et sanctior cultus, cuius obeundi ergo conferri sensibilia munera possint, alius nullus est. Verba autem scriptoris antiquissimi hæc sunt libro IV, cap. XXXII: *Suis discipulis dans consilium primitias Deo offerre ex suis creaturis, non quasi indigenti, sed ut ipsi nec infructuosi nec ingrati sint, eum qui ex creaturâ panis est, accepit & gratias egit dicens, Hoc est corpus meum. Et calicem similiter, qui est ex eâ creaturâ quæ est secundum nos, suum sanguinem confessus, est, & Noui testamenti nouam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens in uniuerso mundo offert Deo, ei inquam, qui alimenta nobis prestat, primitias suorum munerum in Nouo testamento, de quo in XII Prophetis Malachias sic præsignificauit, Non est mihi voluntas in vobis &c.* Rursus cap. XXXIV: *Igitur Ecclesiæ oblatio, quam Dominus docuit offerri in toto mundo, purum sacrificium reputatum est apud Deum, & acceptum est ei, non quòd indigeat à nobis sacrificium, sed quoniam is qui offert, glorificatur ipse in eo quod offert, si acceptetur munus eius.* — Offerre igitur oportet Deo primitias eius crea-
tura,

tura, sicut & Moyses ait, Non apparebis vacuus ante co: spe. Deut. 16, 16
Etum Domini Dei tui: ut in quibus gratus existit homo, in his
gratus ei deputatus, eum qui est ab eo percipiat honorem. Et
post aliqua: Igitur non sacrificia sanctificant hominem: non
enim indiget sacrificio Deus. Sed conscientia eius qui offert,
sanctificat sacrificium pura existens, & prestat siue facit acce-
ptare Deum quasi ab amico. Peccator autem, inquit, qui occidit Ies. 66, 3
mibi vitulum, quasi occidat canem. Quoniam igitur cum sim-
plicitate Ecclesia offert, iuste munus eius purum sacrificium apud
Deum deputatum est. Quomodo & Paulus Philippensi-
bus ait, Repletus sum acceptis ab Epaphrodito, quae à vobis missa
sunt, odorem suauitatis, hostiam acceptabilem, placentem Deo.
Oportet enim nos oblationem Deo facere, & in omnibus gratos
inueniri fabricatori Deo, in sententiâ purâ, & fide sine hypocri-
si, in spe firmâ, in dilectione ferventi, primitias earum quae sunt
eius creaturarum offerentes: & hanc oblationem Ecclesia sola
puram offert fabricatori, offerens ei cum gratiarum actione ex
creaturâ eius.

XIX. Diu duravit in ecclesiâ hic ipse offerendi
mos, quem Matisconensis synodus secunda seculo
sexto ad finem jam vergente confirmatum iuit huius-
modi verbis: Decernimus, ut omnibus Dominicis diebus ab can. 4.
zaris oblatio ab omnibus viris & mulieribus offeratur tam panis
quàm vini, ut per has immolationes & peccatorum suorum fa-
scibus careant, & cum Abel vel ceteris iuste offerentibus pro-
mereantur esse consortes. De eadem seculo nono Amala-
rius Fortunatus Treuirensis, qui suos de ecclesiastico
officio libros Ludouico Pio inscripsit: Populus dat ob- lib. 3, c. 19.
lationes suas, id est, panem & vinum secundum ordinem Mel-
chisedech. Item: Omnis populus intrans ecclesiam debet sacri-
ficiu Deo offerre. At cantores, qui sunt de genere Leuita-
rum, propter instantem necessitatem cantandi, non habent licen-
tiam

etiam huc illucq; discurrendi, ut singuli offerant cum ceteris. Statutum est eis, ut penitus non sint expertes à sacrificio, custodire aquam, & hanc unam offerre pro ceteris. Populus offerre vinum, cantores aquam.

XX. Per hanc autem oblationem significatum iuit ecclesia, quòd semetipsam, animos & corpora & sua omnia Deo dedicaret, ut fieret quod iubet Apostolus Rom. XII, I: *Sistite corpora vestra hostiam viuam, sanctam, placentem Deo.* Quà de re & mutuà caritate pronunciat Augustinus x de Ciuitate Dei, cap. VI: *Hoc est sacrificium Christianorum. multi unum corpus sumus in Christo. Quod etiam sacramento altaris fidelibus nono frequenter ecclesia, ubi ei demonstratur, quòd in eà oblatione quam offerit, ipsa offeratur.* Et epistolâ LIX, solutione quæstionis V: *Vouentur omnia, que offeruntur Deo, maximè sancti altaris oblatio. Quo sacramento predicatur nostrum aliud votum maximum, quo nos vouimus in Christo esse mansuros, usiq; in compage corporis Christi. Cuius rei sacramentum est, quòd unus panis, unum corpus multi sumus.* Rursus x de Ciuitate Dei, cap. XIX: *Qui putant hæc visibilia sacrificia dijs alijs congruere, illi verò summo tamquam inuisibili inuisibilia, & maiori maiora, melioriq; meliora, qualia sunt pura mentis & bonæ voluntatis officia; profectò nesciunt, hæc ita esse signa illorum, sicut verba sonantia signa sunt rerum. Quocirca sicut orantes atq; laudantes ad eum dirigimus significantes voces, cui res ipsas in corde quas significamus, offerimus: ita sacrificantes non alteri visibile sacrificium offerendum esse nouerimus, quàm illi, cuius in cordibus nostris inuisibile sacrificium nos ipsi esse debemus. Et sequente capite: Christus sacerdos est, ipse offerens, & ipse oblatio. Cuius rei sacramentum quotidianum esse voluit ecclesia sacrificium; quæ quum ipsius capitis corpus sit, seipsam per ipsum discit offerre.*

XXI. Ad

XXI. Ad hanc ipsam oblationem pertinent omnes, quæ *Secreta* dicuntur preces, & Offertorium sequuntur. Paucas è Missali Romano recentissimæ editionis, auctoritate Clementis *ix* recognito, è quibus quod docuimus liquidò appareat, adscribemus. In Natiuitate Domini ad secundam Missam in aurorâ: *Munera nostra, quæsumus Domine, natiuitatis hodierna mysterijs apta proueniant, & pacem nobis semper infundant: ut sicut homo genitus idem refulsit & Deus, sic nobis hac terrena substantia conferat quod diuinum est.* Ad tertiam Missam: *Oblata Domine munera nouâ Vnigeniti tui natiuitate sanctifica, nosq; à peccatorum nostrorum maculis emunda.* Feriâ *ii* post Dominicam *iiii* Quadragesimæ: *Munus quod tibi Domine nostra seruitutis offerimus, tu salutare nobis perfice sacramentum.* Dominicâ *v* post Pascha: *Suscipe Domine fidelium preces cum oblationibus hostiarum: ut per hac pia deuotionis officia ad cælestem gloriam transeamus.* Dominicâ Pentecostes: *Munera, quæsumus Domine, oblata sanctifica, & corda nostra Sancti Spiritus illustratione emunda.* Feriâ *ii* post Pentecosten: *Propitius, Domine quæsumus, hæc dona sanctifica, & hostie spiritalis oblatione susceptâ nosmet ipsos tibi perfice munus æternum.* Dominicâ *v*: *Propitiare Domine supplicationibus nostris, & has oblationes famulorum famularumq; tuarum benignus assume, ut quod singuli obtulerunt ad honorem nominis tui, cunctis proficiat ad salutem.* Dominicâ *vii*: *Deus qui legalium differentiam hostiarum unius sacrificij perfectione sanxisti, accipe sacrificium à deuotis tibi famulis, & pari benedictione, sicut munera Abel, sanctifica, ut quod singuli obtulerunt ad maiestatis tuæ honorem, cunctis proficiat ad salutem.* Dominicâ *ix*: *Suscipe, quæsumus Domine, munera, quæ tibi de tuâ largitate deferimus.*

XXII. Eodem pertinet initium hodierni canonis

nonis Romani, *Te igitur clementissime Pater per Iesum Christum filium tuum dominum nostrum supplices rogamus ac petimus, ut accepta habeas & benedicas hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia illibata; & quæ sequuntur vsque ad hæc postrema: Quam oblationem tu Deus in omnibus, quaesumus, benedictam, adscriptam, ratam, rationabilem acceptabilemque* (hæc pleraque verba memorat etiam Ambrosius) *facere digneris, ut nobis corpus & sanguis fiat dilectissimi filij tui, domini nostri Iesu Christi, id est, κοινωvια corporis & sanguinis eius.* Huiusmodi preces in oblatione panis & vini, quæ symbolum esset interioris spiritualis oblationis, materiamque Eucharistiæ præberet, olim quadrabant. Nunc autem, ritu pridem abolito, difficulter intelliguntur, aut quò non oportebat, trahuntur.

4 de Sacr.
cap. 5.

vide inq. num.
2 5811.

XXIII. Ad hanc etiam ipsam veteres, quod Melchisedech, qui typum Christi gereret, panem vinumque protulit, accommodarunt. Cyprianus epistolâ LXIII: *In sacerdote Melchisedech sacrificij Domini sacramentum præfiguratum videmus, secundum quod Scriptura divina testatur & dicit, Et Melchisedech rex Salem protulit panem & vinum. Item: Ut in Genesi per Melchisedech sacerdotem benedictio circa Abraham posset ritè celebrari, præcessit antè imago sacrificij Christi, in pane & vino scilicet constituta.* Ambrosius IV de Sacramentis, cap. III: *Sacramentorum horum figura præcessit, quando Abraham erat — Tunc victor venit: occurrit illi Melchisedech sacerdos, & obtulit ei panem & vinum. Quis habuit panem & vinum? Abraham non habuit. Sed quis habuit? Melchisedech. Ipse igitur auctor sacramentorum. Quis est Melchisedech? qui significatur rex iustitiæ, rex pacis, nempe Christus Dominus.* Aurelius & episcopi Africani epistolâ ad Innocentium Romanum, quæ

quæ inter Augustinianas xcv: Melchisedech prolaro
sacramento mensa Dominica nouit æternum eius sacerdotium fi-
gurare. Augustinus xvi de Ciuitate Dei, cap. xxii:
Abraham tunc benedictus est à Melchisedech, qui erat sacer-
dos excelsi. — Ibi primum apparuit sacrificium, quod nunc à
Christianis offertur Deo toto orbe terrarum. Iohannes Chry-
sostomus homiliâ xxxv in Genesin: Vide per honorem in
Patriarcham collatum quomodo Sacramentum insinuatur. Ex-
tulit enim illi panem & uinum. Videns typum cogita, oro, &
ueritatem: & admirare diuinarum scripturarum accura-
tam diligentiam, quomodo superioribus seculis & ab initio fu-
tura præfigurata sint. Epiphanius hæresi lv: Quum Abra-
ham esset annorum xxcix vel xc, plus minusue, Melchi-
sedech ei obuiam venit, & panem uinumq; protulit τῶν ἑστυπῶν
τῶν μυσηίων ἀνίγματα, ἀντίτυπα τῆς Κυεῖς ἡμῶν λέγοντι,
Ὅτι ἐγὼ εἰμι ὁ ἀρτοῦ ὁ ζῶν· καὶ ἀντίτυπα τῆς ἀΐματός &c.

XXIV. Porro in oblationibus, de quibus mo-
dò agimus, semper obseruauit uetus ecclesia, quod ex
Irenæo, paullo antè attulimus: Is qui offert, glorificatur
ipse in eo quod offert, si acceptetur munus eius. Eorum igitur,
qui sese manifestis criminibus obstrinxissent, aut pœ-
nitentias ob commissa delicta iniunctas nondum ex-
pleuissent, oblationes minimè recipiebat. Hinc Iler-
dense concilium canone xiii: Catholicus, qui filios suos in
hæresi baptizandos obrulerit, oblatio illius in ecclesiâ nullate-
nus recipiatur. Concilium Carthaginiense iv canone
xciii: Oblationes dissidentium fratrum neq; in sacrario neq;
in gazophylacio recipiantur. xciv: Eorum, qui pauperes oppri-
munt, dona à sacerdotibus refutanda. Quin & pœnitentes,
& energumenos siue à dæmonibus obsessos, & cate-
chumenos, priusquam offerretur, discedere oportuit.
Ad Offertorium igitur vsque Missa catechumenorum

C

dice-

vicebatur; ab offertorio & deinceps, Missâ fidelium.
Notanda sunt verba episcoporum nonnullorum Hi-
spaniæ in synodo Valentinâ, capitulo primo: *Inter ce-
tera hoc esse censuimus obseruandum, ut sacrosancta Euan-
gelia ante munerum illationem, in Missâ catechumenorum,
in ordine lectionum post Apostolum legantur, quatenus sa-
lutaria precepta Domini nostri Iesu Christi, vel sermo-
nes sacerdotis, non solum fideles, sed etiam catechumeni ac
pœnitentes, & omnes qui è diuerso sunt, audire licitum ha-
beant. Sic enim pontificiâ prædicatione auditâ nonnullos attra-
ctos ad fidem euidenter scimus. Hoc ipsum est κοινωνεῖν χρισ-
τοῦ σφραγῆς, id est sacris interesse usque ad offertorium,
vel citra oblationem munerum & participationem
sanctæ Eucharistiæ; quod aliquibus pœnitentibus
concedunt canones Ancyrani VI, IIX, IX. Concilium
Ilerdense canone IX: *Lapsi VII annis inter catechumenos
orent, & duobus inter catholicos, & postea, moderatione & cle-
mentiam episcopi fidelibus in oblatione & Eucharistiâ communi-
sent. Perfecta igitur ecclesiastica communio, siue ma-
ius symbolum perfectæ communionis erat vnâ cum
cæteris fidelibus offerre, & alios de aliorum obla-
tionibus particulam in Eucharistiâ accipere. Colla-
tis enim istis in vnum, perinde erat, vnde materia Eu-
charistiæ caperetur. Pontificale Romanum titulo De
ordinatione Subdiacôni: *Oblationes, quæ veniunt in alta-
re, panes propositionis vocantur: de ipsis oblationibus tantum de-
bet in altare poni, quantum populo possit sufficere, ne aliquid pu-
tridum in sacrario remaneat.***

XXV. Si contigisset itaque quemdam, qui ec-
clesiam manifesto delicto offendisset, & ab eius com-
munionem segregatus esset, dolens autem & resipiscens
canonicam pœnitentiam subiisset, ante expletam obi-

IC. IC.

se, restituebatur ei etiam mortuo ecclesiastica com-
munionio hoc ipso, quòd oblationes eius nomine factæ
reciperentur. De his enim sumebat & participa-
bat populus fidelis. Concilium Arelatense secundum
canone XII: *De his, qui in pœnitentiâ positi vitâ excesserunt,*
placuit nullum communionem vacuum debere dimitti, sed pro eo,
quod honorauit pœnitentiâ, oblatio eius recipiatur. Cartha-
ginienſe IV canone LXXIX: *Pœnitentes, qui attentè le-*
ges pœnitentiæ exsequuntur, si casu in itinere vel in mari mor-
tui fuerint, ubi eis subueniri non possit, memoria eorum & ora-
tionibus & oblationibus commendetur. Valsense canone I I
statuit, horum, qui pœnitentiâ acceptâ in bona vitæ cursu satis-
factoriâ compunctiōe viuentes sine communionem, inopinato
nonnumquam transitu, in agris aut itineribus præueniuntur, ob-
lationem recipendam, & eorum funera, ac deinceps memoriâ
ecclesiastico affectu prosequendam. At quicumq; se propriâ vo-
luntate in aquam iactauerit, aut collo ligato se suspendarit, aut
de arbore præcipitauerit, aut ferro percusserit, aut qualibet occa-
sione voluntaria se morti tradiderit, istorum oblata non recipian-
tur, vti decernit Antisiodorensis synodus canone XVII.

XXVI. Nempe defunctorum parentes, liberi,
cognati, amici ista illorum nomine offerebant in ar-
gumentum & testimonium, quòd illi ecclesiasticæ
communione participes decessissent. Huiusmodi
erant oblationes pro defunctis: quibus alios etiam fi-
nes & vsus tribuit Augustinus Enchiridio ad Lauren-
tium, cap. CX. *Quum sacrificia, inquit, siue altaris siue qua-*
rumcumq; elemosynarum pro baptizatis defunctis omnibus offe-
runtur, pro valde bonis gratiarum actiones sunt; pro non valde
malis propitiationses sunt; pro valde malis etsi nulla sunt adiu-
menta mortuorum, qualescumq; viuorum consolationes sunt.
Reperit hæc ipsa libro quæstionum ad Dulcitium,
quæstione II.

XXVII. Et haec de oblationibus ad altare sub initium Missæ fidelium olim factis. Quarum aliquod adhuc in Gallia superest vestigium, ubi in Missis, quas parochiales vocant, grandis panis, quem ex ordine per vices patresfamilias parochiani suppeditant, offertur.

XXIIX. QUINCTO gratiarum actiones & preces piorum Scriptura vocat sacrificia. *Sacrificia* vel immola Deo laudem, psal. l, 14. Hoseæ xiv, 3: Omnem aufer ac condona iniquitatem, & accipe quod nobis conferas, siue confer bonum; & reddemus vitulos labiorum nostrorum. Hebr. xiii, 15: Per Christum adsiuè offeramus Deo θυσία αἰνεσεως sacrificium laudis, id est, fructum labiorum confitentium nomini eius. Apocal. v, 8: Suffitus sunt preces sanctorum. Item iix, 3: Dati sunt Angelo suffitus multi, ut offerret cum precibus sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum. Plal. cxl, 2: Dirigatur oratio mea sicut incensum coram te: eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum. Hinc de Ecclesiâ loquutus Gregorius Nyssenus libro de vitâ Mosis, ἐν ταύτῃ τῇ σκηνῇ, inquit, θυσία τῆς αἰνεσεως, ἡ θυμίαμα τῆς προσευχῆς, ἢ τῷ ὄρθρῳ καὶ τῇ ἑσπερά, ἐνεργουμένη, ἀπὸ παντός καθορεῖται. In hoc tabernaculo & laudis victima & suffitus precum manè ac vesperti offerri semper conspicitur.

XXIX. Dominus noster quum institueret sacramentum Sanctæ coenæ, εὐλογήσας ἡ εὐχαριστήσας ἐκλάσσε τὸν ἄρτον, gratis Deo actis fregit panem & distribuit; nobis hoc ipso exemplum præbens, imò iniungens, ut quum idem sacramentum administramus, Deo gratias agamus. Non præscripsit quidem certam formulam, sed ipse eam, quæ tempori rebusque præsentibus congrueret, adhibuit; ecclesiæ verò permisit, ut
verbis

verbis vteretur, quibus visum esset, & tantæ rei digni-
tatem, beneficiorumque, pro quibus agenda gratia,
magnitudinem suæque deuotionis feruorem quàm
commodissimè posset, exprimeret. Hinc diuersarum
gentium, diuersarumque ecclesiarum particularium
diuersæ liturgiæ: quas cum alibi, tum sexto Biblio-
thecæ Patrum Parisiensis tomo videre est. Rectè igitur
Augustinus libro primo contra aduersarium Legis &
Prophetarum, cap. xvii: *Quod est sacratius laudis sacri-*
ficium, quàm in actione gratiarum? Et unde maiores agenda
sunt Deo gratia, quàm pro ipsius gratiâ per Iesum Christum Do-
*minum nostrum? Quod totum fideles in ecclesiæ sacrificio * sci-*
unt, cuius umbra fuerunt omnia priorum genera sacrificiorum. * fortè faciunt.

XXX. Chrysoströmus homiliâ xxvi in Matthæum:
Gratiarum actio Deo quidem nihil omnino addit, nos autem ei
magis familiares reddit. Nos enim beneficiorum ab hominibus
in nos profectorum recordati vehementius eorum amore instam-
mamur: multò magis itaq; Dei erga nos beneficiorum memores
mandata eius seruare studebimus. Idcirco Apostolus dixit, ¶ Theſ. 5, 18:
Gratias agite. Quippe optima beneficiorum custos est ipsa memo-
ria beneficiorum, & perpetua gratiarum actio. Propterea &
tremenda & salutaria illa mysteria, quæ in omni ecclesiæ cœtu
celebramus, Eucharistia siue Gratiarum actio nuncupantur:
Sunt enim recordatio plurimorum beneficiorum, & ostendunt
ipsum caput diuinæ prouidentia, & faciunt nos Deo debitas
gratias semper exsoluere. Si enim Dominum è virgine nasci
grande miraculum est, vt Euangelista cum admiratione dix-
erit, Hoc autem totum factum est: quo tandem beneficij loco po-
nemus eum etiam pro nobis mortuum esse? Nam si tantummo-
do nasci TOTVM vocatur; iam crucifixum esse, & sanguinem
fudisse, & semetipsum nobis cibum dare, ac spirituales epulas,
quid vocandum est? Agamus igitur ei juges gratias, & id

non modò verbis nostris, verùm etiam operibus ipsis precipue im-
pleamus. Agamus verò gratias non ob propria tantum, verùm
etiam ob aliena bona. Ita enim & invidiam poterimus extin-
guere, & astringere caritatem, eamq; efficere magis sinceram.
Neq; enim jam illis poterit invidere, pro quorum bonis gratias
Deo agit. Idcirco etiam sacerdos pro uniuerso orbe terrarum,
pro absentibus atq; presentibus, pro his qui ante nos fuerunt, pro
his qui postea futuri sunt, sacrificio illo proposito, Deo nos gratias
jubet offerre. — Quia enim plerumq; homo in Deum ingratus
est, ipse ubiq; instituit & adornat ea, qua ad nos excitandos fa-
ciant. Et quod ad Iudeorum salutem temporibus, locis & festi-
uitatibus varijs prestitit, in memoriam eis sua beneficia revo-
cans; id etiam nunc operatus est in nobis ipso genere sacrificij nos
ad jugem pro suis beneficijs gratiarum actionem incitans.

XXXI. Porro sacramentum hoc in sui suæque
mortis commemorationem celebrari iussit Seruator.
Quando autem mors Domini memoratur, bonum
erit factum, si ita memoretur, vt per eam Deum Pa-
trem oremus, obtestemur, veniam peccatorum, beni-
gnam protectionem & cuncta, sine quibus vitam tran-
quillam, piam, honestam degere non licet, postule-
mus. Quarum precationum formulæ itidem liberae
sunt, & vrgentibus necessitatibus attemperari possunt.
Quatenus itaq; preces sacrificia sunt, eatenus sacrifi-
cij appellationem Missæ aptari fas erit.

1 Tim. 2, 1

XXXII. Sanè δένσεις, προσευχάς, εὐχα-
ριστίας, quas pro omnibus hominibus, pro regibus & quibusuis in
eminentiâ constitutis fieri iubet Apostolus, de precibus in
Missâ recitari solitis exponit Augustinus epistolâ EIX,
solutione quæstionis v. Eligo, inquit, in his verbis hoc
intelligere, quod omnis vel pane omnis frequentat ecclesia, vt
precaiones accipiamus dictas, quas facimus in celebratione sa-
cramen-

ramentorum, antequam illud, quod est in Domini mensa, in-
cipiat benedici: orationes, quum benedicatur & sanctificatur, &
ad distribuendum comminuitur, quam totam petitionem fere
omnis ecclesia dominicâ oratione concludit. — In panis sanctifi-
catione & distributionis preparatione existimo Apostolum ius-
sisse propriè fieri $\tau\epsilon\gamma\theta\epsilon\upsilon\chi\alpha\varsigma$. — Interpellationes autem sine postu-
lationes fiunt, quum populus benedicatur. Tunc enim antistites
velut advocati susceptos suos per manus impositionem misericor-
dissima offerunt potestati. Quibus peractis & participato tan-
to sacramento, gratiarum actio cuncta concludit, quam in his
etiam verbis ultimam commendavit Apostolus. Pro quibus
& quomodo oratum fuerit, aliquam partem indicat
epistolâ CVII: Exerce, ait Vitalem Pelagianismo affi-
nem increpans, contra orationes ecclesie disputationes tuas,
& quando audis sacerdotem Dei ad altare exhortantem popu-
lum Dei, orare pro incredulis, ut eos Deus convertat ad fidem; &
pro catechumenis, ut eis desiderium regenerationis inspiret; &
pro fidelibus, ut in eo, quod esse ceperunt, eius munere perseve-
rent; subsanna pias voces, &c. Rursus: Numquid ubi audie-
ris sacerdotem Dei ad eius altare populum hortantem ad Deum
orandum, vel ipsum clarâ voce orantem, ut incredulas gentes
ad fidem suam venire compellat, non respondebis Amen?

XXXIII. De iisdem precibus Tertullianus A-
pologerici cap. xxxix: Coimus in cœtum & congregatio-
nem, ut ad Deum quasi manu factâ preceationibus, ambiamus
orantes. Hac vis Deo grata est. Oramus etiam pro Imperato-
ribus, pro ministris eorum & potestatibus, pro statu seculi, pro re-
rum quiete, pro morâ finis. Et libro ad Scapulam: Itaq; &
sacrificamus pro salute Imperatoris, sed Deo nostro & ipsius; sed
quomodo precepit Deus, purâ prece.

XXXIV. Ex Chrysofomo etiam hac ipsâ de re
nonnulla audire operæ erit pretium. Homiliâ LXXII

in

in Matthæum: Certè mysteria nostra eleemosynæ maximè ac caritas sunt. Ineffabili enim suâ misericordiâ nostri Deus miseratus est. Et prima, quæ in Eucharistiâ dicitur oratio, quâ pro demoniacis deprecamur, misericordiæ eius commemoratione plena est. Secunda, quâ pro his, qui pœnitentiâ agunt, oramus, misericordiam humiliter querit. Tertia etiam, quam pro nobismetipsis fundimus, vel infantes adducit Deum ad misericordiam lacrymis flectentes. Nam quoniam nostra ipsi peccata cognouimus, pro alijs qui peccarunt, quiq; peccare possunt, nos clamamus; pro nobis autem infantes, quorum imitatores cœlorum regnum expectant. Hac enim oratione significatur, quòd qui simplicitatem paruulorum sequuntur, hi maximè pro reis Deum deprecari possunt. Ipsum autem Eucharistiæ mysterium quantâ misericordiâ plenum sit, initiati solummodo nouerunt. Homiliâ XIX in Acta Apostolorum, conqueritur multos habere oppida & prædia, saltem sollicitos quomodo in eis balnea & aula exstruantur, non autem, quomodo anima excolantur. Hos igitur exhortans, ut ecclesias siue templa inibi ædificent, Preces, ait, illic perpetua propter te, laudes & synaxes propter te, oblatio per singulos dies dominicos. Item: Parum est, dic queso, in sanctis oblationibus nomen tuum semper referri, & quotidie pro villâ preces ad Deum fieri. Homiliâ XIX in posteriorem ad Corinthios docet, uti sumtionem mysteriorum, ita quoq; preces populo cum sacerdote communes esse. Est, inquit, ubi nihil differt sacerdos à subdito, ut quando fruendum est horrendis mysterijs: similiter enim omnes, ut illa percipiamus, digni habemur. Non sicut in veteri lege, partem quidē comedebat sacerdos, partem autem populus, & non licebat populo participē esse eorum, quorū particeps erat sacerdos: nunc autem non sic, sed omnibus unum corpus proponitur & poculum unum. Quin & in precibus videat quis populum multum simul offerre cū pro energumenis, tum pro pœnitentibus: com-
mune

munnes enim preces à sacerdote & ab illis fiunt, & omnes unam dicunt orationem, orationem misericordiâ plenam. Iterum ubi excluderimus à sacerdotalibus ambitibus eos, qui non possunt esse participes sanctæ mensæ, alia facienda est oratio, & omnes similiter super terram jacemus, & omnes similiter surgimus.

XXXV. Accedat superioribus Gennadius Massiliensis, cuius verba libro de Ecclesiasticis dogmatibus capite xxx hæc sunt: *Quum sanctarum plebium præfules mandat à sibi met legatione fungantur, apud divinam clementiam humani generis agunt causam, & totâ secum Ecclesiâ congemiscente, postulant & precantur, ut infidelibus doneatur fides; ut idololatra ab impietatis suæ liberentur erroribus; ut Iudeis ablato cordis velamine, lux veritatis appareat; ut heretici catholica fidei perceptione resipiscant; ut schismatici spiritum rediuvina caritatis accipiant; ut lapsis pœnitentiæ remedia conferantur; ut deniq; catechumenis ad regenerationis sacramenta perductis, cœlestis misericordiæ aula referetur.*

XXXVI. Non solùm autem pro viuis orabatur, sed etiam pro defunctis, qui ut Christiani, vel saltem ecclesiasticæ communionis participes diem suum obiissent. Non parva est, ait Augustinus, uniuersæ ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret, auctoritas; ubi in precibus sacerdotis, quæ Domino Deo ad eius altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum, libro de curâ pro mortuis, cap. i. Et capite iv: *Non sunt prætermittenda supplicationes pro spiritibus mortuorum, quas faciendas pro omnibus in Christianâ & Catholicâ societate defunctis, etiam tacitis nominibus quorûcumq;, sub generali commemoratione suscepit Ecclesiâ; ut quibus ad ista defuncti parentes aut filij, aut quicumq; cognati vel amici, ab unâ eis exhibeantur piâ matre communi.*

XXXVII. Iungebantur autem huiusmodi preces oblationibus, de quibus paullo antè agebamus:

D

vnde

vnde libri modò pròducti capite vltimo, *Non existime-*
mus, ait beatus doctor Augustinus, ad mortuos, pro quibus
curam gerimus, peruenire, nisi quod pro eis sine altaris, sine ora-
tionum, sine eleemosynarum sacrificiis solenniter supplicamus:
quamuis non pro quibus fiunt omnibus profint, sed iis tantùm, qui-
bus dum viuunt comparatur vt profint. Sed quia non discerni-
mus qui sint, oportet ea pro regeneratis omnibus facere, vt nullus
eorum pratermittatur, ad quos hæc beneficia possint & debeant
peruenire. Melius enim supererunt ista eis, quibus nec obsunt
nec profunt, quàm eis deerunt quibus profunt. Diligentius ta-
men facit hæc quisque pro necessariis suis, quod pro illo fiat simi-
liter à suis.

XXXIIX. Receptus itaq; fuit mos celebrandæ,
quando corpora funerarentur, Eucharistiæ: cuius, qui
exsequijs intererant, participes facti. Et hæc erat
Missa pro defunctis. Augustinus de funere matris
suæ Monicæ in Confessionum, cap. xii: *Ecce corpus ela-*
tum est: imus & redimus sine lacrymis. nam neq; in eis precibus,
quas tibi ô Deus fudimus, quum offerretur pro eâ sacrificium
pretij nostri, jam iuxta sepulcrum posito cadauere, priusquam de-
poneretur, sicut illic fieri solet, nec in eis precibus ego fleui; sed to-
to die grauiter in occulto mœstus eram. Et de morte ac fu-
neratione ipsius Augustini Possidius in eius vitâ: *No-*
bis adstantibus obdormiuit in pace cum patribus suis, enuiritus
in bonâ senectute: & nobis coram positus pro eius commendan-
dâ corporis depositione sacrificium Deo oblatum est, & sepultus
est. Existimo administratam fuisse Eucharistiam, vt
per eam excitati qui adessent, feruentius precarentur.
Coniunguntur itaque sacrificia altaris, oblationum,
orationum in defunctorum gratiam vsurpata.

ad Quodv.
hæc, 53.

XXXIX. Talia improbauit & damnauit Aërius,
dicens orare vel offerre pro mortuis (verba sunt Augustini)

non

non oportere: & propterea quum etiam insuper Ari-
 nus esset, inter hæreticos & turbatores ecclesiæ rela-
 tus est. Plura de eo apud Epiphanium hæresi LXXV
 videri possunt. Sed nos, vt protestatur Apologia **N.**
 Augustanæ confessionis, *orationes pro mortuis non probi-* art. 3 de
bemus, nec Aëriopatrocinamur. Quamquam autem quâ abusibus,
in re quem fructum & quod emolumentum defunctis
eiusmodi preces conferant, difficulter explicatur, ad
contestandam tamen fidem spemque resurrectionis,
Christiani semper eas vsurparunt. *Quid utilius, ait E-*
piphanius aduersus Aërium differens, quid opportunius,
quid admirabilius, quàm superstites credere, quod viuunt defun-
cti, καὶ ἐν αὐπαρξίᾳ ἔκ εἰσίν, & non destituuntur existentia,
sed sunt & viuunt apud Dominum. — Et pro iustis memoriam
facimus, & pro peccatoribus. Pro peccatoribus quidem miseri-
cordiam Dei implorantes: pro iustis verò & Patribus & Patri-
archis, Prophetis & Apostolis, & Euangelistis, & Martyribus,
& Confessoribus, Episcopis & Anachoretis & uniuerso ordine
hierarchico, vt Dominum Iesum Christum ab ordine hominum
separemus per honorem, quem ei habemus. nempe pro omni-
bis per Christum gratias agimus aut precamur, atque
hoc ipso omnibus non nisi per eum salutem obtingere
profitemur, Αναγκαίως ἡ ἐκκλησία τὸ τοῦ ὅπτι τελεῖ, τὸ δάδο-
σθαι λαβῆσαι τὸ δὲ πατέρων. Ecclesia traditionem à Patribus
acceptam sequuta necessario id ipsum peragit. Sed suam quo-
que erga defunctos caritatem & cum illis conjunctio-
nem hoc pacto declaratum iuit. Neque enim piorum anima ^{20 de C. D.}
mortuorum, vt loquitur Augustinus, separantur ab Ecclesiâ, ^{cap. 9,}
quæ etiam nunc est regnum Christi. Alioquin nec ad altare
Dei eorum fieret memoria in communicatione corporis Christi.

XL. *Habet autem, vt nos idem docet Augusti-*
nus sermone xvii de verbis Apostoli, ecclesiastica disci-



plina, quum Martyres eo loco recitantur ad altare Dei, ut non pro ipsis oretur, pro ceteris autem commemoratis defunctis oretur. Iniuria est enim pro martyre orare, cuius nos debemus orationibus commendari. Et Tractatu **XXCIV** in Iohannem: **cap. 23, v. 1.** Hoc est quod legitur in Proverbijs Salomonis, Si sederis cœnare ad mensam potēris, considerans intellige qua apponuntur tibi; & sic mitte manum tuam, sciens quia te talia oportet preparare. Nam qua mensa est potentis, nisi unde sumitur corpus & sanguis eius, qui animam suam posuit pro nobis? Et quid est ad eam sedere, nisi humiliter accedere? Et quid est considerare & intelligere qua apponuntur tibi, nisi dignè tantam gratiam cogitare? Et quid est sic mittere manum, ut scias quia talia te oportet preparare; nisi quia sicut pro nobis Christus animam suam posuit, sic & nos debemus animas pro fratribus ponere? Sic enim ait etiam **1 Pct. 2, 21.** iam apostolus Petrus: Christus pro nobis passus est, relinquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia eius. Hoc est talia preparare. Hoc beati martyres ardenti dilectione fecerunt. Quorum si non inaniter memorias celebramus, atque in conuiuio, quo & ipsi saturati sunt, ad mensam Domini accedimus, oportet ut quemadmodum ipsi, & nos talia preparemus. Ideo quippe ad ipsam mensam non sic eos commemoramus, quemadmodum alios qui in pace requiescunt, ut etiam pro eis oremus, sed magis ut orent ipsi pro nobis, ut eorum vestigijs adhareamus.

XLI. De Confessoribus in vinculis & carcere mortuis in hunc modum suo clero absens scribit Cyprianus: **Epist. 37.** Dies eorum, quibus excedunt, annotate, ut commemorationes eorum inter memorias martyrum celebrare possimus. Quamquam Tertullus fidelissimus & deuotissimus frater noster scripserit & scribat, ac significet mihi dies, quibus in carcere beati fratres nostri ad immortalitatem gloriosa mortis exiitranseant, & celebrentur hinc à nobis oblationes & sacrificia ob commemorationes eorum. Et aliâ epistolâ de Laurentino & Ig-

Epist. 34.

& Ignatio, qui dum diabolum Christi confessione prosterunt, palmas à Domino & coronas illustri passione meruerunt; Sacrificia pro eis semper, inquit, offerimus, quoties martyrum passiones & dies aniuersaria commemoracione celebramus. Deo igitur dicebantur laudes & agebantur gratiæ, quòd in tanto & tam arduo certamine vires & tandem gloriosam victoriam largitus esset. Hinc Augustinus **XXII** de Ciuitate Dei, cap. x: *Vni Deo & martyrum & nostro sacrificium immolamus: ad quod sacrificium sicut homines Dei, qui mundum in eius confessione vicerunt, suo loco & ordine nominantur, non tamen à sacerdote, qui sacrificat, inuocantur.* Huc pertinent verba Canonis Romani: *Communicantes, & memoriam venerantes imprimis gloriosa semper virginis Mariae, genetricis Dei & Domini nostri Iesu Christi, sed & beatorum Apostolorum ac Martyrum tuorum, Petri & Pauli &c.*

XLII. Ad alios autem defunctos ista: *Memento etiam, Domine, famulorum famularumq; tuarum N. & N. qui nos precesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis. Ipsis Domine, & omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerij, lucis & pacis, ut indulgeas deprecamur.*

XLIII. Cæteræ liturgiæ utrosque ferè coniungunt. Ierofolymitana, quæ Sancti Iacobi solet dici: *Memento Domine Deus noster spirituum & vniuersa carnis, orthodoxorum scilicet, quorum memoriam egimus, & quorum non egimus, ab Abel iusto vsq; ad diem hodiernum: fac ut ibi requiescant, in regione viuentium, in regno tuo, in deliciis paradisi, in sinu Abraham & Isaac & Iacob sanctorum patrum nostrorum, vnde exulat dolor, tristitia & gemitus; ubi lumen vultus tui presidet & semper refulget.* Alexandrina, quæ Sancto Marco tribuitur: *Animabus patrum & fratrum nostrorum, qui antehac in Christi fide obdormiuerunt, dona requiem Domine Deus noster, memor majorum nostrorum, qui à seculo sunt,*

sunt, Patrum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum,
Martyrum, Confessorum, Episcoporum, sanctorum, iustorum,
omnis spiritus in fide Christi defunctorum. Deinde Diaconus le-
git τὰ δὶ μαζα, hoc est, sacras tabulas, quibus defunctorum catalogus
continetur. Sacerdos autem se inclinans apprecatur: Et horum o-
mnium animabus dona requiem, Dominator, Domine Deus no-
ster, in sanctis tuis tabernaculis, in regno tuo, largiens eis pro-
missionum tuarum bona, quae oculus non vidit, & auris non au-
diuit, & in cor hominis non adscenderunt &c. Similia ex
aliis liturgiis promi possent, sed omnia adscribi nimis
longum foret.

XLIV. Quemadmodum autem de oblationi-
bus diximus, ignominiae vel poenae loco fuisse, si cu-
ius oblationes non reciperentur; ita quoque erat de
precibus, si in eis nomen alicuius exprimi non liceret.
Cuius enim oblationes recipiebantur, eius quoque
nomen recitari fas erat. Episcopi igitur Afri, quod
clerum ab ecclesiasticis officiis auocari & ciuilibus
implicari nollent, censuerunt, ne quis frater siue Christianus
excedens ad tutelam vel curam clericum nominaret; ac si quis
hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione
eius celebraretur: neque enim apud altare Dei meretur nominari
in sacerdotum prece, qui ab altari sacerdotes & ministros voluit
auocare. Haec Cyprianus epistolâ LXVI; & subiun-
git: Et ideo Victor, quum contra formam nuper in concilio à
sacerdotibus datam Geminium Faustinum presbyterum ausus sit
tutorem constituere, non est quod pro dormitione eius apud vos
fiat oblatio, aut deprecatio aliqua nomine eius in ecclesiâ fre-
quentetur, ut sacerdotum decretum religiosè & necessariè fa-
ctum seruetur à nobis.

XLV. Episcopis in primis ille competebat ho-
nos, ut postquam rebus humanis essent exempti, nomi-
na eo-

na eorum diptychis, quorum paullo ante mentio facta, inscriberentur, & ex iis recitarentur. Et hinc inter Græcos & Latinos sub finem seculi quinti enatum schisma acerbum & molestum, quod Romani episcopi è sacris diptychis eradi omnino vellent nomen Acacij Constantinopolitani, qui communionem Petri Mongi Alexandrini hæresin dissimulantis per errorem & imprudentiam admisisset, quamuis catholicam doctrinam ipse semper amplexus esset; Constantinopolitani verò ad existimationem decessoris sui, quem orthodoxum nouissent, tuendam inuitis Romanis retinerent. Et hoc primum fuit inter Latinos & Græcos, quod in neruum erupit schisma.

X L V I. Sed ad nostrum institutum reuersi repetimus, quod jam antè proposuimus, nempe quum gratiarum actiones & preces sacrificia sint, in Sanctâ eucharistiâ siue Missâ, quæ gratiarum actiones & preces, quales diximus, complectitur, insigne admodum eius generis sacrificium occurrere. Quin Deum Patrem per Christum Christi quæ mortem & meritum obtestari & preeari nihil est aliud, quàm Deo Patri Christum Christi quæ mortem & meritum offerre. In Missâ itaque Deo Patri suus Filius, Filii quæ mors, quæ verissimum est sacrificium, offertur; & quidem, vt ex iis quæ hætenus prolata sunt, constat, pro viuis & pro defunctis. Sicut enim Christus ipse quando in cœlis comparet in conspectu Dei pro nobis, & interpellat pro nobis, semetipsum suam quæ mortem Deo sistit & offert: ita etiam in terris ecclesia, quæ corpus eius est, quando per ipsum & mortem eius Deum deprecatur, itidem ipsum eius quæ mortem, atque adeo sacrificium in cruce peractum Deo offert. Nemo autem adeo lippit aut cæcutit,

Hebr. 9, 24.

Rom. 8, 34.

curit, vt non videat inter offerri, quod per cruciatus & mortem in cruce peractum fuit, & offerri, quod nunc siue in coelis per istam, quam diximus, comparitionem, siue in terris per pteces peragitur, meram *omnium* intercedere.

XLVII. Dices, Si quando Patrem per Filium precamur, Patri Filius offertur; consequens erit, non modò in Eucharistiâ offerri, sed in quibusuis precibus, etiam præter & extra Eucharistiam. Respondeo & concedo omnino etiam citra Eucharistiam offerri. Addo autem in Eucharistiâ peculiarem deprehendi rationem, quæ in precibus extra eam non occurrat. Nempe consideranda est præsentia corporis & sanguinis Domini Eucharistiæ propria. Non igitur, vt in aliis precibus, nudè & simpliciter Christum offerimus, sed respicientes ad eam præsentiam, quasi præsentem offerimus. Et hoc est *SEXTVM*, cuius intuitu in Eucharistiâ siue sacrificium esse, siue Christus, Christiq; corpus pro nobis traditum, & sanguis pro nobis effusus offerri rectè pronuntiabitur. Huc spectant verba *Cyrilli Ierosolymitani catechesi mystagogicâ v: Obsecramus Deum pro communi ecclesiarum pace, pro tranquillitate mundi, pro regibus, pro militibus, pro socijs, pro egrotis & afflictis, & in summâ, pro his omnibus, qui egent auxilio. Egemus autem omnes. Postea facimus etiam mentionem eorum, qui ante nos obdormiuerunt, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, vt Deus orationibus illorum suscipiat preces nostras. Deinde pro defunctis sanctis patribus & episcopis, denique pro omnibus, qui inter nos vitâ functi sunt, oramus, maximum esse credentes animarum iuuamen, pro quibus offertur obsecratio sancti illius & tremendi, quod in altari positum est, sacrificij. Et post aliqua: Christum pro nostris peccatis ma-*

rum

rum offerimus, ut & nobis & illis eum, qui est benignissimus,
propitium reddamus.

XLIX. SEPTIMO itaque quoniam in Sanctâ
eucharistiâ præsens est & accipitur corpus ac sanguis
Domini; præsens quoq; est & accipitur id ipsum, quod
olim in cruce sacrificium fuit: nempe idem corpus,
quod pro nobis in mortem traditum, & idem sanguis,
qui pro nobis in remissionem peccatorum effusus. Er-
go si sacrificium materialiter capimus, est in Eucharis-
tiâ idem numero sacrificium, quod fuit in cruce, siue
res & substantia prorsus eadem; eadem inquam victi-
ma siue hostia. Hinc de Monicâ matre suâ beatus Au-
gustinus in Confessionum, cap. XIII: *Memoriam suâ
ad altare tuum Deus fieri desideravit, unde sciret dispensari
victimam sanctam, quâ deletum est chirographum, quod erat
contrarium nobis; quâ triumphatus est hostis compureans delicta
nostra.*

XLIX. Si verò sacrificium accipimus formali-
ter, siue pro actione sacrificandi; tum etiam si victimæ
fit numero eadem, actio tamen ipsa, siue oblatio & im-
molatio quæ fit in Eucharistiâ, cum oblatione & im-
molatione, quæ in cruce peracta fuit, nec specie nec
genere conuenit: neque enim datur forma vel ratio
oblationis aut immolationis, quæ de istâ & de illâ vni-
uocè prædicari possit. Rectè igitur ex recentionibus
scriptoribus Algerus libro I, cap. XVI: *Quotidianum
nostrum sacrificium idem ipsum est cum eo, quo Christus semel ob-
latus est in cruce, quantum ad eandem veram hic & ibi corpo-
ris Christi substantiam — licet oblatio Christi semel in cruce sit
vera, quotidiana autem in altari sit figurata.* Nempe, ut et-
iam antè dictum fuit, in cruce facta est oblatio per ve-
ram rei viuæ immolatæ, vel substantiæ istius viuæ, quæ

E

sacris

sacrificij est materia, passionem & mortem; absq; quâ sacrificium propriè dictum esse nullo modo potest. Eucharistiâ verò fit oblatio per preces, de quibus modo agebamus; aut etiam per commemorationem & quamdam repræsentationem, de quâ nunc agemus. Prius tamen de precibus monemus, occurrere hîc denudò, quapropter in precibus ad altare dici queat Christus & mors Christi Deo Patri offerri peculiari ratione, quæ in aliis precibus non iuueniatur. Precamur videlicet ibi Deum per Christum & per mortem Christi, non saltim respicientes ad præsentiam corporis in mortem traditi & sanguinis effusi, sed etiam ad symbolicam eius mortis repræsentationem. Precamur itaq; per mortem Christi non simpliciter, vt in aliis precibus usu venit, sed per mortem Christi his ipsis, quæ præ manibus sunt, symbolis & actionibus, in eum finem à Christo institutis, repræsentatam.

L. OCTAVO igitur & ultimo loco proferimus, quod veteres passim inculcant, & ipse nos docuit Dominus. Eucharistiâ videlicet in memoratiorem sacrificij quod in cruce oblatum fuit, institutam, & proinde sacrificium memoratiuum esse. Quâ de re sub initium non nihil diximus, & nunc plura dicere oportet. Hoc igitur ita agmen claudet, vt perinde sit quasi duceret. *Hoc facite*, dixit Dominus quum Eucharistiâ institueret, *in mei commemorationem.* Quæ verba explicans **1 Cor. II, 26** Sanctus Paulus, *Quotiescumq; inquit, panem hunc ederitis, & poculum hoc biberitis, mortem Domini annuntiate, usquequò venerit.* Nempe mors Domini verum est sacrificium. In Eucharistiâ est memoratio mortis, atq; a deo sacrificij Domini. Nihil igitur obstat, quin Eucharistiâ habeatur & appelletur sacrificium memoratiuum. Me-
mora-

memoratur autem & suo quodam modo representatur
mors Domini hoc ipso, quod panis frangitur, vinum
funditur, corpus quod in mortem traditum fuit, vnà
cum pane fracto manducatur, & sanguis vnà cum effu-
so vino bibitur. Quod dum facimus aut fieri videmus,
mortis Domini, cui fides & spes nostra incumbit, seridè
ac efficaciter meminisse debemus, & ad caritatem gra-
tiasque Deo agendas exstimulari; vti sub initia huius
dissertationis monuimus. Quod igitur interest inter
ipsam rem; verbi gratiâ prælum, & inter memoriam
ac imaginem prælii, hoc etiam interest sacrificium in
cruce, & sacrificium in Eucharistiâ. Et quantum abest
vt fractio panis & effusio vini, aut ipsa etiam mystica
sumptio corporis & sanguinis Domini sit verus crucia-
tus, & vera mors Domini, aut separatio siue animæ siue
sanguinis à corpore Dominico; tantum quoque abest,
vt sacrificium in Eucharistiâ sit veri, proprii, & stricti
que nominis sacrificium: aut vt sacrificium hoc me-
moratiuum & sacrificium in cruce oblatum in aliquâ
verâ formali sacrificii propriè dicti ratione vniuocè
conueniant; & non potius illud ab isto, vt imago à
prototypo, non nisi extrinsecè denominetur. *Singula-
ritè solo vero sacrificio pro nobis Christi sanguis effusus est. vti
restè loquitur Augustinus I contra aduersarium legis
& prophetarum, cap. xlix. Huius autem sacrificij caro &
sanguis (ait idem xx contra Faustum, cap. xxi) ante ad-
uentum Christi per victimas similitudinè promittebatur
quatenus scilicet futura erat caro & sanguis sacrificii
in passione Christi per ipsam vitam reddebatur; post adscen-
sum Christi per sacramentum memoria celebratur. Nam He-
braei (hæc leguntur eodem libro, cap. xlix) in victimis pe-
c*



dignum erat, prophetiam celebrant futura victima, quam
Christus obtulit. Vnde jam Christiani, per acti ejusdem sacrifi-
cij memoriam celebrant sacrosanctâ oblatione precibus vi-
delicet fieri solitâ, & participatione corporis & sanguinis
Christi, sine quâ numquam eo tempore Eucharistia ce-
lebrabatur. Libro xxciii quæstionum, quæst. lxi:
Mundationem peccatorum Dominus oblatione holocausti
sui, quod in veteri sacerdotio figurabatur, implevit: & holo-
causti ejus imaginem ad memoriam passionis suæ in ecclesiâ cele-
brandam dedit. Nempe ut è sententiis per Prosperum
collectis citant Lanfrancus, Algerus, Gratianus, Dum
frangitur hostia, dum sanguis de calice in ora fidelium funditur,
quid aliud quàm Domini corporis in cruce immolatio, ejusq;
sanguinis de latere effusio designatur? Sequitur apud Alge-
lib. 1, c. 19. rum: Ideo etiam ipse corpus suum fregit & eradidit, ut signa-
ret, quòd sponte suâ in passionem se frangeret & traderet pro no-
bis, qui solus potestatem habebat ponendi animam suam: quod
etiam in altari vicesuâ imitantur sacerdotes, ut idem repræ-
sentent. Hinc sanctus doctor ad Bonifacium epistolâ
xxiii: Nonne semel Christus immolatus est in seipso, & tamen
in sacramento non solum per omnes Pasche solennitates, sed omni
die populis immolatur? Nec utiq; mentitur, qui interrogatus
responderit eum immolari. Si enim sacramenta quamdã simi-
litudinem earum rerum, quarum sacramenta sunt, non habe-
rent, omnino sacramenta non essent. Et sermone xxix de
verbis Domini: Ergo tu audis, quòd quotiescumq; offertur
sacrificium, mors Domini, resurrectio Domini, elevatio Domini
significetur, & remissio peccatorum. In psalmum lxxiv:
Quum non obliuiscimur munus Saluatoris, nonne quotidie no-
bis Christus immolatur?


00 A 6437


ULB Halle 3
002 937 360



WMA







2.
CYN Θ Ε Ω.
De
SACRIFICIO
CHRISTI SEMEL IN
CRUCE OBLATO, ET
INITERABILI
EXERCITATIO THEO-
LOGICA,
QVAM
SVB PRAESIDIO
GEORGI CALIXTI
S. THEOL. D. ET PROF.
PVBLICE
IN ACAD. IVLIA
DIE XXI MARTII
SVSTINEBIT
ALBERTVS BOEDE
HILDESIENSIS.
✠ ○ ✠
HELMESTADI,
IN TYPOGRAPHEO CALIXTINO EXCVDIT
HENNINGVS MULLERVS.
CIC IDC XXXIIX.